Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25874
Copyright: Admont, Benediktinerstift



fidei et dilectionis pactum FILIO dei rep
mittit. Nequaquam ita ut loqueris erit.
quia sermo tuus veteris ac novi testamen
ti institutio erit. Huius LITTERE sen
sum ipse dominus in evangelio aperit. cum disci
pulis suis ait. Sit autem sermo VESTER est.
et NON. Est enim verbum substantivum.
novum exprimit testamentum. in quo ve
ritatis et redemptionis declaratur sacra
mentum. Non autem adverbium nega
tivum. vetus exprimit testamentum.
quod per litteram stare posse denegatur. cum
SPIRITUS vivificans meo expostu
latur. Quod ergo in evangelio per est. et non. de
signatur. hoc in isto loco per nequaquam.
et ita figuratur. Proinde DICIT populus.
domino serviemus. quia dilectionem dei et
proximi opere perficiemus. SEQUITUR.

ET IOSUE ad populum. testes inquit
vos estis. quia ipsi elegeritis vobis
dominum. ut serviatis ei. Responderuntque.
TESTES. Nunc ergo ait. auferte deos alie
nos de medio vestrum. et inclinate corda
vestra ad dominum. Dixitque populus ad iosue. Domino
deo nostro serviemus. et obedientes erimus
preceptis EIUS.

DICIT Iosue ad populum. dicit filius
dei ad cetum apostolicum. de mun
do electum. Testes inquit vos estis. qui
omnia reliquistis. et me secuti estis. Quia
ipsi vobis DOMINUM elegeritis. cum me et pa
rentibus et omnibus mundi vel carnis
affectibus preposueritis. Ut ei serviatis. cui
in VERITATE placere festinatis. Ut ei
serviatis. a quo eterne retributionis bra
vium expectatis. Respondent. cum sancti
APOSTOLI. electioni filii dei. fidei et
dilectionis debitum exhibent. TESTES.
Nos inquit PETRUS testes sumus christi. et
spiritus sanctus. quem dedit deus omni
bus obedientibus sibi. Nunc ergo ait
auferte deos alienos. vos LUX mundi. sal
terre. quos ego elegi de mundo. et posui
ut eatis. et fructum afferatis. auferte deos ali
enos predicatione VESTRA. emundantes
ab ydolatria. universos populorum angulos.
De medio vestrum. quia medium vestrum. erit
latitudo GENTIUM. De medio vestrum. quia
vos constitui principes super orbem terrarum.
Et inclinate corda vestra ad dominum. auctorita
te institutionum vestrarum. emollientes. hu
miliantes. et confirmantes. doctores et rec
tores omnium ecclesiarum. Qui RECTE cor
dibus comparantur. quia per eos totum
ecclesie corpus vivificatur. Populus ad iosue
dicit. quia universus CETUS fidelium.
apostolice predicationis doctrina collectus.
XPO domino suo fidei et dilectionis debitum
persolvit. Domino deo nostro serviemus. quia te
verum mundi redemptorem fideliter
diligemus. Preceptis EIUS obedientes
erimus. quia dilectionem proximi firmi
ter conservabimus. SEQUITUR.

PERCUSSIT ergo iosue in die illo fe
dus. et proposuit populo precepta atque iu
dicia in sichem. Scripsit quoque omnia
verba hec in volumine legis domini. et tulit
lapidem pergrandem. posuitque eum subter
quercum que erat in sanctuario DOMINI. et
dixit ad omnem populum. En lapis iste erit
vobis in testimonium quod audieritis
omnia verba DOMINI. que locutus est vobis. ne for
te postea negare velitis. et mentiri domino deo
vestro. Dimisitque populum. singulos in posses
sionem suam.